



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

De eminentia liberæ mentis, quam supplex oratio magis meretur, quàm  
lectio. 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

## C A P. XXVI.

*De eminentia liberæ mentis, quam supplex  
oratio magis meretur, quam lectio.*

**I** Domine,\* hoc opus est perfecti Seruus  
viri, numquam ab intentione  
cælestium animum relaxare: & inter  
multas curas, quasi sine cura transire:  
non more torpentis, sed prærogatiua  
quadam liberæ mentis, nulli creaturæ  
inordinata affectione adhærendo.

**2** Obsecro te, piissime Deus meus,  
præserua me à curis huius vitæ: ne ni-  
mis implicer, à multis necessitatibus  
corporis: ne voluptate capiar, ab vni-  
uersis animæ obstaculis: ne molestiis  
fractus, deiiciar. Nō dico ab his rebus,  
quas toto affectu ambit vanitas mun-  
dana: sed ab his miseriis, quæ animam  
serui tui, communi maledicto mortali- *Genes. 3;*  
tatis, pœnaliter grauant & retardant: *& Rom. 7.*  
ne in libertatem spiritus, quotiens li-  
buerit, valeat introire.

**3** O Deus meus, dulcedo ineffabilis,  
verte mihi in amaritudinem, omnem  
consolationem carnalem, ab æternorum  
amore me abstrahentem: & ad se,  
intuitu cuiusdam boni delectabilis  
præ-

*Rom. 12* præsentis, malè allicientem. Non me  
vincāt, Deus meus, nō me vincāt caro  
& sanguis: non me decipiat mundus,  
& breuis gloria eius: non me supplāter  
diabolus, & astutia illius. Da mihi for-  
titudinē resistendi, patientiā tolerandi,  
constantiā perseverandi. Da pro omni-  
bus mundi cōsolationibus, suauissimā  
spiritus tui vñctionem: & pro carnali  
amore, tui nominis infunde amorem.

4 Ecce cibus, potus, vestis, ac cætera  
utensilia, ad corporis sustentaculum  
pertinentia, feruenti spiritui sunt one-  
rosa. Tribue talibus fomentis tempe-  
ratè uti, non desiderio nimio implicari.  
Abiicere omnia non licet, quia natura  
sustentanda est: requirere autem su-  
perflua, & quæ magis delectant, lex  
sancta prohibet: nam aliàs, caro aduer-  
sus spiritum insoleceret. Inter hæc  
quæso, manus tua me regat & doceat,  
ne quid nimium fiat.

## C A P. XXVII.

*Quod priuatus amor, à summo bono,  
maxime retardat.*

*Domi-  
nus.* I **F**ili, t' oportet te dare totum pro  
toto, & nihil tuipius esse. Scito,  
quod